

omnibus terrenis divitiis, & ideo pro toto mundo, nedum pro uno aut duobus ducatis, non est mentendum. Nihil enim proderit illi totum mundum lucrari, si animæ suæ detrimentum pateret. Docendus est ille, quod melius est modicum iusto, super divitias peccatorum plurimas, quod ea, quæ mendacis & fraudibus acquiruntur, etiam si multa & magna sint, cito minuuntur, & pereunt; quæ autem iuste habita sunt, etiam si pauca & minima sint, Deo juvante, quotidie augentur. His & similibus verbis Sacerdoti convenit mercatorem illum in veritatis amore firmare, & constantem facere, non tamen expedit illum à mercatura avertere, si conjicit inde, aut furti, aut adulterii, aut cuiusvis alterius gravioris delicti ansam præberi. Nam quamvis peccatorum occasiones sint vitandæ; (sicut Paulus docet (1. Thes. 4.) abstinentiendum esse ab omni specie mali) si tamen illa occasione sublata, aliud majus imminet periculum, toleranda est talis occasio, & apimus in virtute firmandus, & cautior efficiendus, ne ex illa occasione in vitium labatur. Sic enim facit peritus medicus, qui periculoso morbo succurrit, cæteris neglectis, qui non tam male minantur. Et propter hanc causam (ut alias interim omittam) omnes sancti censuerunt, Sacerdotem doctum & expertum summam etiam cum diligentia esse inquirendum pro peccatorum confessione faciendâ, talem scilicet, qui sciat omnium peccatorum merita & causas agnoscere, & illis cognitis, possit omnibus sine alicujus læsione mederi. Verum etsi ille sapientissimus sit, illis omnibus mederi non poterit, nisi peccator illi omnia sua peccata dixerit. Revelanda sunt ergo omnia peccata Sacerdoti per confessionem, ut ille omnibus convenientem medicinam adhibere possit. Alioqui si unum dumtaxat celaverit, illud obstat, ne aliis peccatis possit ad salutem prodesse confessio, quoniam (ut beatus Chrysostomus homilia tertia super Mattheum ait) confessio est quasi quoddam latentis conscientie testimonium & exemplar, quum latentes suos affectus, quos nemo videre potest, vocibus per confessionem manifestat, & quemadmodum Deo in se creto cordis se peccasse fatetur, ita vocibus Sacerdoti. At vera non fit Deo confessio, nisi de omnibus, quæ egit, doleat, & omnium pœniteat, & se de omnibus coram Deo accuset. Unde Ezechias Rex apud Esaiam (cap. 38.) ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ad hæc enim omnia quæ egit ad memoriâ revocat, ut de illis doleat, & pro mala, quam in illis sensit, ante dulcedine, nunc bonam sumat amaritudinem. Si unum solum sit peccatum, cuius non pœniteat peccatorem, illud efficit, ut reliqua maneant, & non deleantur, oportet enim omnium pœnitere. Ut igitur confessio absolutum sit conscientie exemplar & testimonium, exigitur ab ea, ut omnia peccata, quorum animus pœnitet, Sacerdoti manifestet: quoniam si alicujus pœnitet, quod non fuerit revelatum, non totam ipsam contritionem repræsentabit confessio. At cum dolor & contritio censeatur profusus inanis nisi sit omnium, convincitur etiam confessionem esse inanem, & penitus inutilem, nisi per eam etiam omnia peccata manifestentur. Omnia igitur sic sunt revelanda per confessionem, ut nullum abscondatur. Et ideo David postquam dixerat: *Delictum meum cognitum tibi feci*: statim subiunxit: *Et iniquitatem meam non abscondi*: non esse satis ad veram confessionem aliqua peccata revelare, si aliquid abscondatur. Hinc Lutheri impia sententia, & à Leone decimo inter alias illius multas damnata profertur, qua docet, non omnia peccata moralia esse confitenda: quoniam (ut ait) dum omnia confiteri volu-

mus, nihil misericordie divinæ relinquimus. O perversam sententiam, & divinæ misericordie profusam ingratam! Nam hæc, divinam non agnoscit misericordiam in eo, qui omnia sua peccata confitetur, & de omnibus se coram Sacerdote accusat. Putat quidem Lutherus (ut ex illius dictis conjicio) remissionem peccatorum & gratiæ collationem non gratis impendi illi, qui exactam & consummatam omnium suorum peccatorum confessionem facit, sed iure illi esse debitam. Ac proinde censet, illum talem Deo nihil debere quod peccata remittit. Quod si hoc Lutherus putat, sibi ipsi esset contrarius, qui alibi censet, hominis arbitrium nihil ex se posse, neque homines suis operibus posse salvari. Si ergo hominis arbitrio & illius operibus detrahit, consequens est, ut fateatur quamlibet exactam peccatorum confessionem non debere peccatorum remissionem. Nam (ut ait Salvator Luc. 17.) *Cum hæc omnia feceritis, dicitis, servi inutiles sumus.* Si Deus remissionem non debet, misericordiam igitur facit illi, qui omnia peccata confitetur, cum illi omnia peccata dimittit. Si misericordia est omnia sua peccata dimittit, cur Lutherus succenset illi, qui omnia sua peccata dimittit, quod nihil divinæ misericordie relinquit? Immo omnia ad illum defert, qui omnia Sacerdoti confitetur, qui etiam cum omnia fuerit confessus, non suæ tantum fidit confessioni, sed divina adhuc misericordia se egere putat. Deinde si ob hanc causam essent ex industria omittenda aliqua peccata in confessione, ut majorem locum divina haberet misericordia, oportet etiam eadem ratione aliqua Dei præcepta omittit, ut magis divinæ misericordie reliquatur dimittendum. At cum omnia præcepta implentur, nihil aufertur de divina misericordia; cum ergo omnia peccata Sacerdoti confitemur, nullum divinæ misericordie præripimus locum, immo totum illi deferimus; quia si omnia confitemur, omnium remissionem assequi speramus, & si aliquid celatum fuerit, numquam suorum peccatorum veniam impetrabit. Nam Salomon ait: (Prov. 28.) *Qui abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit ea, misericordiam consequetur.* Melius quidem de vera penitentia & Dei misericordia Job quam Lutherus sentiebat, qui nullum se peccatum abscondisse, aut iniquitatem in sinu suo celasse dicebat, sic inquit (cap. 31.) *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & cæcovi in sinu meo iniquitatem meam.* Putabat quidem grave esse peccatum, talem peccatorum confessionem facere, per quam non omnia peccata deteguntur, sed pars revelatur, & pars celatur. Sunt ergo omnia confitenda, nec solum opera & verba, sed etiam cogitatus. Hinc est, quod leprosus juxta ritum legis mundandus, omnes pilos capitis radere tenebatur. (Levit. 24.) *Omnia enim* (ut ait Paulus 1. Corinth. 10.) *in figura contingebant illis.* Pilorum nomine propter subtilitatem cogitationes intelligimus, quæ tam subtiles sunt, ut nullus visus, nisi divinus illas penetrare possit. Capilli mobiles undique destuunt & facile moventur, & cogitationes tam facile moventur, ut nihil sit illis mobilius. Hi sunt illi capilli, qui (teste Salvatore nostro Matth. 10.) omnes numerati sunt: quia de omnibus cogitationibus in die iudicii exigetur ratio, nec una præteribit, cuius merita non sint discutienda. Leprosus ergo mundandus omnes capillos capitis sui radere jubetur: quia peccator, qui peccati lepra infectus est, ut mundus coram Deo merito censeatur, omnes cogitationes suas novacula confessionis radere debet, alioqui mundus non erit. Quapropter peccatorem, qui suæ salutis curam habet, admonet, ut faciat id, quod de Regina Saba Regum historia narrat. (3. Reg. 10.) Hæc enim, audita sapien-

ti Salomonis, venit ad illum, & locuta est ei universa quæ habebat in corde suo. In hoc facta docetur peccator, quid illum pro suæ animæ salute agere oporteat. Nam Saba captivitate significat, & peccatricem animam figurat, quæ peccatorum laqueis captiva tenetur. Sed hæc ut doceretur, non quemlibet adivit, sed Salomonem omnium sapientissimum, qui sciat distinguere inter lepram & lepram inter peccatum & peccatum, qui sciat omnibus convenientem adhibere medicinam. Non quidem (ut aliqui faciunt) qui animas suas nihili facientes, ad primum, quem offenderint quamlibet imperium Sacerdotem, accedunt, & illi suorum peccatorum vulnera detegunt, qui tamen longe majori diligentia medicum corporis perquirent, si illorum corpora morbo laborare coningeret. Unde conjicimus, illos plures (ut corpora facere, quam suas animas. Qui autem animam suam (ut oportet) æstimat, ad instar reginæ Saba, sapientissimum, quem habere potest, quærit Sacerdotem, alterum videlicet (si fieri possit) Salomonem: qui omnia sua peccata cognoscere, & illis aptam medicinam adhibere sciat, quemadmodum Salomon omnia reginæ Saba ænigmata solvit, & illi omnibus respondit. Deicit enim illam Salomon omnia verba quæ proposuerat, non fuit sermo, qui Regem postea latere, & non responderet ei. Talem expedit esse Sacerdotem. Regina Saba ad Regem perveniens, locuta est ei universa quæ habebat in corde suo. Et peccator ad Sacerdotem pro animæ suæ salute accedens, debet illi palam facere universa quæ habet in corde suo, omnia (inquam) quorum meminit, si ve publica illa fuerint, si ve secreta, si ve opere consummata fuerint, si ve solo proposito initiata. Cum omnium, quæ dixerat ænigmatum regina Saba audivisset à Salomone responsum & solutionem, non habuit ultra spiritum. Et peccator, qui omnia sua peccata in aures Sacerdoti sapientis dicit, & illorum omnium suscepit ab eo absolutionem, jam non habet ultra spiritum. Quem spiritum? Spiritum peccati. Spiritum quidem suum jam non habet, sed habet spiritum Dei. Privatus est suo spiritu, ut frueretur divino, alioqui spiritus Dei non regeretur, nisi prius caruisset suo. Et propter hanc causam David alibi cum spiritu divinum sibi dari peteret dicens: (Psal. 50.) *Spiritum rectum innova in visceribus meis*: prius petiit omnes iniquitates suas deleri. Privatur ergo suo spiritu malo, qui omnes iniquitates Sacerdoti dicit, & ab illo omnium absolutionem accipit. Manifestanda sunt ergo omnia, ut ab omnibus possit absolvi, & omnium indulgentiam assequi mereatur. Nec solum peccata manifestanda sunt, sed & peccatorum circumstantiæ. Verum hæc non omnes, sed illæ solum, quæ peccatum sic agere possunt, ut ab altera in alteram peccati speciem valeant opus transferre, quales sunt illæ, quæ specialibus præceptis sunt interdictæ. Ex his enim peccati, sicut cujuslibet alterius rei cognitio maxime pender. Nam medicus, qui ad infirmum, ut illi medeatur, accedit, omnes morbi circumstantias ab infirmo percipitur, ut ex illis agnoscat, quæ illi debeat præbere antidota. Interrogat de morbi qualitate, an calorem an frigus ostendat, quo tempore incepit, quo loco, quantum duravit, quantum invaluit morbus, mihi ne fuerit an acerbus, an continuo morbo fuerit vexatus, an quietem aliquam mediam habuerit. Hæc omnia in confessione peccati exiguntur, ut peccator possit incolumitati restitui. Nam peccatum morbus quidam est animæ, quo anima male habet. Hoc morbo laborabat Propheta cum Deum præcibat, dicens: (Psal. 6.) *Misere mei Domine, quoniam*

*infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Medicus, qui huic morbo mederi potest (ut alias diximus) Sacerdos est, qui absolutionem conferens, Dei virtute secreto operante, salutem præstat. Quo fit, ut illi tamquam vero animarum medico non solum peccati morbum, sed illius circumstantias manifestare oporteat, quales videlicet fuerint peccatum, & an iterato illud commisit, qualem quantumque conatum adhibuit, ut voti compos fieret. Necessarium est hæc omnia Sacerdotem agnoscere, ut sciat quale debeat antidotum parare, qualem penitentiam satisfactionem injungere. Non enim omnibus eadem compensatio. Nam carnales & illecebrosi, carnis maceratione curantur. Superbis & elatis, humilitatis opera sunt injungenda. Avari sunt ad elemosinarum largitionem constringendi. Et juxta hunc modum fiet, ut quisque per ea quæ peccavit (quemadmodum ait Sapiens cap. 11.) per hæc & puniatur. Non quidem ut multi Sacerdotes imperiti faciunt, qui omni penitentiam eandem abque ullo discrimine injungunt satisfactionem. Quod certe idem est, ac si omni veneno quis idem antidotum vellet adhibere. Cum igitur alius morbus aliam curationem desideret, oportet, ut illi peccato aliud eriam adhibeatur remedium. Hoc autem fieri non possit, nisi morbi qualitate plene cognita, quæ plene intelligi non valet, illius circumstantiis profusè ignoratis. At circumstantiæ non possunt agnoscari, nisi eas peccator indicaverit. Manifestandæ sunt ergo peccatorum circumstantiæ, sicut & peccata omnia, alioqui Sacerdos non poterit peccatis omnibus (ut decet) plene mederi. Et ideo dicit: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniquitatem meam non abscondi.* Sunt tamen multi qui post peccati confessionem, adhuc suum retinent spiritum, & in prioribus persistunt peccatis, quia non omnia uni Sacerdoti manifestaverunt. Multi enim sunt, quos tam vehementer dejecit verecundia, ut etiam si omnium suorum peccatorum pœniteant, aliqua tamen illorum revelare formident. Hi enim mihi tales esse videntur, ac si aliqui Judæorum Ægyptios in mari rubro summos, qui jam nocere non poterant, timuissent. Nam Ægyptii in mari submersi, peccata sunt lachrymis & contritione suffocata. Sed hæc multi qui trepidant timore, ubi nulla est timoris occasio, timent & verentur. Nihil autem aliud est verecundia, quam timor imminens opprobrii, aut saltem oritur ex illo. Quia enim peccator debetur vituperium, quemadmodum virtuti honor, ideo illa peccata dicere recusat peccator, quæ putat sibi dedecus & ignominiam paritura. Quod ex eo facile conjici potest, quod peccata illa libenter homines farentur, ex quibus sperant aliquid mundani honoris oriri, velut est alicujus hominis citra insidias homicidium, aut lethalis percussio, aut injuriæ vindicta, aut cupidis illustris alicujus femine amplexibus frui. Propter hæc enim & similia putant sibi honorem debere, & ob hanc causam, ad illorum confessionem ultro ne accedunt. Illa vero, propter quæ putant exitimationem, quam forte bonam de illis habeat Sacerdos, fore minuendam, propalare verentur. Unde convincimus, talem verecundiam à superbia tamquam à prima illius radice nasci, eo quod non patiuntur se tales in conspectu hominis apparere, quales peccantes se exhibuerunt in conspectu Dei. Hi ob solam verecundiam damnantur, nec illis ad salutem prodesse potest confessio, immo illorum damnationem augebit, ob hoc solum, quod non omnia sua

apud Matthæum (cap. 5.) aperte testatur operatione varia augeri. Quo fit, ut peccata sua confessus, uberiori a Deo gratiam & mercedem recipiat, quam cum id facere staterat, accepit, nisi forte ejus tunc fuisset voluntas, ut si Sacerdos adesset, illico absque ulla mora sua peccata fuisset illi confessus. Tunc enim credo nudam voluntatem pro opere fore à Deo judicandam, ac per consequens æquum illi deberi gratiam (omitto illam, quæ virtute Sacramento foret contestanda) ac si vere fuisset confessus. Si vero Sacerdotem, cui sua peccata in aurem commode dicere possit, habens, confiteri proponat, & in diem alium differat, suorum peccatorum veniam assequetur, & gratiam, quamvis non tantam, quantum si confessus fuisset, à Deo impetrabit. Est autem hæc peccatorum venia adeo firma & certa, ut si illum propositi poeniteat, & confiteri recuset, pro præteritis illis & jam dimissis peccatis minime dampnetur, sed propter solam confessionem, quam facere tenebatur, negligentiæ. Verum hic admonere oportet, quod sicut non omnis peccatorum confessio, nisi sui auctoris accusatrix illa sit, non valet ad salutem; ita neque omne confessionis propositum veniam peccatorum impetrare valet, nisi talem se confessionem facere statuat, per quam se & non alios, inculcet. Dixi, confitebor adversum me, inquit Propheta, *injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Adversum me, inquit, confitebor, non adversus alios. Cur alios inculcabo propter peccatum, quod ego commisi? Non est æquum, ut in alios culpam meam retorquam. Ego feci, ego sum ferre paratus. *Iustus in principio accusator est sui.* (Prov. 18.) Qui ante peccator fuerat, hoc argumento iustus jam esse probatur, quod accusator est sui. Ex ipsa enim sua confessione jam iustus fit, quisquis peccata sua pronuntians, semetipsum accusat, ac reprehendit. Nam formam veræ confessionis protinus servare dignoscitur, quisquis adversus semetipsum peccatum suum confitetur. Adversum se autem peccatum confiteri est, non Deo, non diabolo, non homini, non alicui rei, nisi sibi soli peccatum suum imputare, & se velut illorum actorem, consistendo accusare. Sunt tamen nonnulli, qui non solum non desunt ac reprehendunt peccata quæ commiserunt, sed etiam defendere, & (quod pejus est) laudare conantur. Quibus aliter quam exitiament venit: quoniam culpam augent, dum illam defendere conantur. Pejor enim sæpe atque damnabilior ipso quod commisit peccato, superbia est, qua in culpa manifesta suffragium excusationis inquitur. Propter quod Propheta Deum precatur, ut si quid poenitendum illum loqui conigisset, non permetteret ad falsas excusationes confugere. *Non declines* (inquit *Psal. 140.*) *cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.* Quibus verbis aperte ipsas peccati excusationes damnavit, cum illas appellavit verba malitiae. Et ab his excusationibus se liberari petit, quia hoc quasi genuinum est vitium, quo humanum genus laborat, ut post peccatum suum prius ad excusationes confugiat, quam peccati se confessione prosternat. Si enim fuerit homo in peccato deprehensus, primum se aliqua falsitate excusare nititur, & si fuerit inde convictus, novas alias effingit excusationes, ne quando se peccasse fateatur. Dicens autem excusationes in peccatis, innuit non unum solum esse peccatoribus excusationis refugium, sed multa. Aliqui enim sunt tam effrontes & impii, ut culpas suas in Deum retorquere non vereantur. Sic primus homo, dum lignum veritatis tetigit, abscondit se à facie Domini inter ligna paradysi. In qua absconditio cum Deum latere non posset, non latendi ef-

fectus describitur, sed affectus designatur. Nam cum argueretur à Domino, quod de ligno verito gustasset, & vestigio respondit: *Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi de ligno, & comedi.* (Gen. 3.) Et ita cum vocaretur ad poenitentiam, ad diverticula excusationis confugit, & transgressionis suæ vitium in ipsum Deum laentier retorfit. Ac si diceret: Tu occasionem dedisti delicti, qui mihi mulierem, quæ me ad peccatum sollicitaret, dedisti. Nec desunt, proh dolor, his nostris temporibus pessiferi tami ab hac infecta primi parentis radice pullulantes, qui hoc palam & publice docere non verentur, quod Adam tunc occulte innuere visus est. In tantam liquidam insaniam Philippus Melanchthon prorupit, ut in Deum omnes nostras culpas rejicere non sit veritus, & illum nostrorum peccatorum facere auctorem. Nam cum omnem ille à voluntate nostra separet liberatorem, coactus est, nostrorum male actorum culpas Deo impingere, qui talem nobis indidit voluntatem, quæ vitare peccata non posset. O mentem insanam! O cor serpentinum asflatum sibilo! O linguam pessiferam diabolico actam spiritu! Nonne Deus bonus est, & totius bonitatis fons numquam exhaustus? Qui sitigitur, ut ex fonte optimo, tot malitiæ rivuli scaturire possint? *Quæ conventio lucis ad tenebras?* (2. Cor. 6.) *Si radix sancta, & rami.* (Rom. 11.) *Arbor bona, ait Salvator, non potest fructus malos facere.* Cum ergo Deus bonus sit, & pelagus bonitatis immensum, nullum peccatum ab illo proficisci potest. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est à Deo descendens, mala autem à nobis sunt, qui labentes nos ipsos in peccata conjecimus. Talem rerum partitionem ipsemet Deus fecit, qui per Prophetam Oseam (cap. 13.) ait: *Perditio tua* (vel juxta aliam translationem) *perdidisti te Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Tolle ergo ô Philippe Melanchton quod tuum est & vade. Peccata tibi ipsi ascribe, Deo vero virtutes, si quas habes, tribue, qui tibi auxilium & fortitudinem ad bene operandum tribuit. Non coneris obsecro hujusmodi rerum partitionem permutare, quam Deus ipse, Propheta testante, fecit. Sed de his hactenus: quoniam non est in præsentiarum locus disputationi, presertim cum in eo opere, quod adversus omnes hæreses edidimus, satis de hæc re me dixisse meminimus. Alii suas in dæmonem culpas rejiciunt, quod nisi ille suggestisset, ipsi numquam peccassent. Ab illo se esse dejectos fatentur, putantes hac ratione omnem sui operis culpam à se ipsis posse repellere. Talis fuit prima omnium mater Eva, quæ cum de inobedientia à Deo notaretur, quod de cibo verito contra illius præceptum gustasset, illico in transgressionis culpam à se in serpentem abjiceret, se tantum excusationis apposuit, dicens: (Gen. 3.) *Serpens decepit me.* Decepit inquam, verum quæ est hæc excusatio, cum tu teipsam decipi permiseris? Sussit enim ille, sed quare tu tam male credula fuisti, ut illum Deo veriore putares? Suggestit dæmon, impulitque ad malum, sed non coegit: quoniam illo suggerente, poteris non acquiescere illi, & illo impellente, poteris resistere, ut stares. Nam Deus, qui in immensum est dæmone potentior, etiam cum nobis bona inspirat, non cogit ad illa, sed liberum nobis relinquit, ut quod nobis magis placuerit, exequamur. (Eccle. 15.) *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Alii culpas suas illis cum quibus versantur, imputant, & dicunt. Non ego ambitiosus sum, sed mores his sunt civitatis, aut oppidi, aut conventus in quo sic vivitur, ut si quis non ambiat, vilissimus semper habeatur. Non ego sum profluus sum, sed arbs ip-

sa magnas exigit expensas. Non est meum vitium quod voluptuosus sum; socii, quibus adhærere soleo, me ad hoc invitant, quos nisi imitatus fuero, statim odio irreconciliabili me prosequerent. O fatuum excusationem, quæ novam sibi peccati notam inarbitratur! Nam & hoc ipsum illi addetur ad culpam, quod non vitare conforia, quæ sibi scandala parare aperte sciebat. Nam Dominus in Evangelio (Matth. 5.) oculum & manum, & pedem scandalizantem abscindere, & à nobis projicere præcepit. Oculum noster est, qui nostras actiones sub consilio regit. Manus est, per quem operamur, qui dando & accipiendo res nostras dispensat. Pes est, qui ad singula negotia pro nostris commodis discurrit. Si ergo horum aliquis nobis peccati occasionem præbuerit, abscindendus est, & à nostra conversatione separandus. Sunt etiam alii, qui cum peccaverint, carnis infirmitate, se excusant: nituntur, dicentes: (Job. 6.) *Non enim sortitudo lapidum fortitudo mea.* Carnis infirmitas me in hanc deiecit culpam, cui libenter repugnassem, si possem, verum fragilitas carnis animæ vigas minuit, & peccato animæ obviare non possit. Sed hi aperto mendacior se tueri conantur, quia esset caro animam ad peccatum allicita, non tamen valet illi vim facere: quamvis mentem ad malum impellat, & deiecit tunc invitam non potest. Sibi igitur ascribat quia consentit, quom si dissentire veller, non est qui cogere potuisset. Si tentationis tantam vehementiam casatur, ut illi resistere non posset, neque hoc est tutum excusationis refugium: quoniam esto ut iam violentus fuerit carnis impulsus, Deum tamen quæere debuisset adiutorem, qui tam fidelis est, ut neminem tentari patiatur supra id quod potest. (1. Corinth. 10.) Sunt multa alia excusationum genera, quæ humana protervitas ut se à culpa, quam perpetravit, liberare possit, advenit. Quidam locis, alii temporibus, alii fato, alii astris & constellationibus ascribunt peccata quæ commiserunt, ut vel sic à culpa immunes se esse ostendant. Hi omnes Hericio similes sunt: quoniam Hericius cum apprehenditur, & caput illius cernitur, & pedes videntur, & reliqua corporis membra, sed cum apprehensus fuerit, statim hæc omnia occultat, sese in spheræ modum sic involuit, ut nec caput appareat, nec pedes videntur. Ad eundem prorsus modum duplices animo & astuti se habent, cum in peccatis suis sunt deprehensi. Caput Hericii videtur, quia aperte cognoscitur quale fuerit sui peccati initium. Pedes aspiciuntur, quia media, quibus ad peccatum perpetrandum pervenerit, manifeste videntur. Repente tamen excusationibus adductus, pedes subtrahit, quia cuncta sui peccati vestigia celat. Caput abscondit, quia miris defensionibus, nec initium aliquod peccati habuisse pertinaciter contendit. Et quasi spheræ in manu tenentis remanet, quia is, qui illius curam tenet, & illius culpam contripere satagit, quom totum ante peccatum plene cognovisset, pessimis excusationibus illusos, jam prorsus ignorare se credit, & è manibus suis elapsum existimat, quod de illo tam certum ante se tenere credebatur. Hinc est, quod huic tali falso de peccato se excusanti, sub Judææ specie per Prophetam Bsaïam (cap. 34.) dicitur: *Ibi foveam habuit Hericius.* Foveam namque Hericius in reprobis habet, quia malitiosa mentis duplicitas illorum mentes inhabitat, & quæ publice mala gesserunt, falsis excusationibus se abscondere nituntur, ut mala esse non videantur. Horum figuram mihi porrasse videntur primi illi nostri parentes, qui ut peccaverunt, cum nodos se esse intellexissent, & verecundiam inde fuil-

lenti passim, solis seius verenda: texerunt. (Gen. 3.) Nihil est in animâ nostra unde ipsa merito verecundari possit, nisi peccatum, ob quam causam peccata ipsa, animæ verenda merito dici posse conferunt. Unde Dominus civitati Ninive minatus se peccata illius manifestaturum, ait: (Nahum.) *Revelabo pudenda tua in faciem tuam, & ostendam gentibus nuditatem tuam.* Solis arboris verba assimilare soli scriptura. Nam quam de vito iusto, sive (ut alii melius putant) de Christo Propheta in primo Psalmo loquitur, laudans illum, quod homines suis non sefelisset promissionibus dixit: *Et solum ejus non defuit.* Solum quidem illius preciosissimæ arboris numquam defuit, quia verbum Christi Salvatoris nostri numquam fuit irritum & inane, sed firmisissimis semper promissionibus perseveravit, sicut ipse in Evangelio testatur: (Matth. 24.) *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quasi solis verenda regit, qui falsis excusationibus peccata sua abscondit. Debile autem tegumentum sunt folia, quod non valet ab ætate & ardore nisi forte ad temporis momentum liberare, quam per vim ardoris ipsa met folia marcescunt, & ita vim suam facili amittunt, ut jam ab ætate protegere non possint. Multo debilius patrocinium est ipsa falsa excusationis defensio, quæ vix ad momentum vitæ præsentis durat, & ita ipso iudicij ardore & ignis conflagratione peccatorem jam protegere non valebit. *Quoniam tunc Deus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* (1. Corinth. 4.) Immo tunc durius punietur peccator, pro eo, quod se excusare voluit de ea re, propter quam se merito accusare debuisset. Sic enim fit, ut dum reatum suum defendere nititur, congeminet, & culpa illius gravior excusata fiat, quam fuerat perpetrata. Propter quod Sapiens peccatorem admonet, dicens: (Eccle. 5.) *Fili peccasti, ne a facias iterum.* Peccatum peccato addit, qui peccatum suum fatere recusat, & excusando defendit. Et si peccatum augetur, fieri etiam necesse est, ut poena multiplicetur. Nam Propheta Sophonias durum talibus minatur iudicium, (cap. 1.) dicens: *Ecce dies Domini venit magnus & horribilis: dies illa dies iræ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulae & turbidinis, dies tubæ & clangoris super omnes civitates munitas, & super omnes angulos excelsum.* Cum diem strictissimæ & in exorabilis iudicii expressisset, in quo omnes iudicandi sunt, non omnibus tamen illius terrorem minatur, sed solis civitatibus munitis, & angulis excelsum. Nam super hos solos dixit diem illum futurum magnum & horribilem. Civitates munitæ, sunt peccatores fallaci defensione & excusatione vallati, qui cum eorum culpam superior per correptiones & correctiones invadit, falsis excusationibus, tamquam muro circumdati, jacula correctionis rejiciunt. Quidam enim (ut diximus) carnis fragilitatem opponunt. Alii tentationis vehementiam. Alii exempla aliorum, quibus se provocatos esse dicunt. Alii fatum. Alii, inquam complexionem, cui se non posse repugnare causantur. Hæc sunt munitiones, quibus se munire consueverunt peccatores contra jacula punitionis. Per angulos excelsum, superbae mentis dupliciter intelligimus. Ex duplici enim pariete in unum coeunte angulus constat, quorum unus hac, alter illac tendit. Et superbus honorem appetens, cum peccata operari non desinat, peccator tamen dici non vult, mala semper agit, & nequitiam suam excusationis nebulis sic obscurare contendit ut non solum mala esse non appareant, sed bona iudicentur. Angulus igitur excelsum est, quisquis malum agit, & sic illud excusare & laudare

peccata sunt confessi, Saul, reprobatus est, eo quod non (juxta Dei praeceptum) omnes Amalechitas, & eorum substantiam fuerit demolitus, sed Regem illorum, & praefatas illius suppellectiles servavit. (1. Reg. 30.) Sic etiam d. monahur, quemque peccatum aliquod, aut insignem al. quim circumstantiam cela verit. Verum admonitione non caret, quod Saul non unum quemlibet ex inimis Amalechitis vivam servavit, sed Regem, non vilia illorum peccata, sed meliora, & crasiora. Sic etiam, solempne est illa, qui verecundiam pati, sua celant, peccata, quia minima quaeque peccata facile revelant, graviora autem subicent, & ideo damnantur. Quia in te maxima illorum offenditur stultitia, quia venient fatari, quod non sunt, veniti peccata. Magna quippe dementia est, quod te non pudeat inquinari, & javari te pudeat. Non es confusus perpetrare, & confunderis dicere? Cur, Deo, indicare, vereris, quod Deo teste, commissisti? Cur, times, Deo, ostendere, quod non es veritus illo praesentem committere? An putas Deum commissa nostra nescire, nisi illa a nobis, dicantur? Si illum scire putas, quare, digere, reformidas? Ut quid ergo miser peccator confiteri times, qui non, etiam, si non confitearis, celari non potes? Si solum Sacerdotem vereris, major est haec tua dementia. Nam si, cum putas male de te opinari, deciparis, quoniam homo est, actu, ac proinde verisimile est illum nihil humanum a se alienum putare. Non ergo Sacerdotem vereri debes: quia non Angelo confiteris, sed homini, & peccatori. Nec ille de te male opinabitur, modo ille stultus non sit. Non enim aequum est, ut quis male sentiat de eo, qui se a fordibus lavat, aut suae infirmitati medicinam adhibet convenientem, immo quo majora peccata fueris confessus, melius de te opinabitur, quia de tam profundo peccatorum caeno emerisisti. Quis tam insipiens erit, ut nunc male de David sentiat, propterea quod olim adulterium, commisit? Etsi etiam tam factus sit Sacerdos, ut male de te opinetur, tanti ne Sacerdotis de te opinionem facies, ut illum vitae aeternae praefere non dubites? Aut gravius forte existimas hanc coram Sacerdote nunc pati verecundiam, quam in die iudicii coram omnibus hominibus, & angelis erubescere? Coram uno times erubescere, & non times, erubescere coram oculis omnium hominum, & Angelorum? Times erubescerentiam momentaneam, quae simul cum ipsa verborum prolatione pertransit, & non times aeternam? Si coram uno ferre non potes, cogita obsecro quomodo ferre poteris, cum peccata tua omnibus palam fient ad tuam ipsius confessionem. Sustine igitur hic coram uno confusionem, ne postea confundaris coram omnibus. Nam (ut ait Sapiens (Eccle. 4.)) *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam.* Confusio adducit peccatum, cum quis propter confusionem vitandam, verecundia cogente peccatum quod commisit, celat. Confusio adducit gloriam, cum quis libenter confusionem sustinet, ut peccatum Sacerdoti revelet. Nam haec talis confessio ab illa extremi iudicii horrenda confusione liberat, & ad gloriam perducit. Filii Israel quoties peccaverunt, hostibus traditi sunt, quoties se peccasse confessi sunt, ab hostibus sunt liberati: quoniam sicut nullus iniquus peccando evasit, ita nullus confitendo, Dei indulgentiam non promeruit. Confandatur ergo hic peccator, ut ab hostium confusione liberetur, & postea gloriam habeat. Ut autem verecundiam hanc superet peccator, admoneo illum, ut graviora peccata, quae magis veretur, in principio confessionis revelet, illa primo aggrediat: quoniam illis devictis, facile reliqua omnia superabit. Sacerdos etiam, cavere debet,

ne aliquo gravi & enormi etiam peccato, audito, illius stultitiam acriter reprehendat, & quodiam forte, huiusmodi reprehensionem deterrebitur. Sic enim Deus in figura praecipit filiis Israel, dicens: (Deuter. 23.) *Ne abomineris Aegyptium, quoniam advena fustis in terra eius.* Quibus iustice jubemur, ne exprobremus hominam peccato reverentem quoniam nos peccatores etiam sumus, & advena etiam fuimus in Aegypto, hoc est, in peccato. Non est aequum, ut acriter in alio reprehendas, quod tibi facile optas ignoscere. Et in alio loco (Levit. 19.) *de omni advena loquens, ait: Si habitaverit advena in terra, & ostenderit moratus fuerit inter vos, non exprobrabit ei. Sed si inter vos quasi indignatus, & diligetis eum quasi vosmetipsos, fustis enim et vos advena in terra Aegypti.* Quae praecipit dignum pietatis dicitur. O viscera pietatis & misericordiae! Quis alius inter justos advena, censendus erit, nisi ille, qui olim gravissimis peccatis servatus est. Dei misericordia operante, penitentiam legit, & in numero justorum jam computatur? Justus ergo, apud quos quasi advena huiusmodi penitentiam moratur, Deus praecipit, ut non exprobrat ei, sed ipse habeant illum quasi indigenam, & diligant illum tanquam semetipsos, ut hac benignitate allectus, quotidie ad meliora proficiat. Neque est aspernandum argumentum, quo illos ad huiusmodi pietatem constringit: *Fustis enim vos* (inquit ille) *advena in terra Aegypti.* Ac si diceret: *Fustis vos olim peccatores, qui benignitatem & misericordiam optastis.* Hanc igitur benignitatem praestare debet Sacerdos peccatori ad penitentiam parato, ut non illi exprobrat, non acriter reprehendat, sed blandis suscipiat verbis, ut ad aliorum peccatorum & forte graviorum confessionem alluciat, & irubantem juvet, ceptum illius propositum fovet, ut sic verecundia superata, plenam, & consummatam suorum peccatorum faciat confessionem, & sic illorum veniam impetrare valebit, & tandem gloriam assequetur aeternam per merita Jesu Christi Domini nostri, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in saecula saeculorum. Amen.

**HOMILIA XL**

*Dixi, confitebor adversum me in iustitiam meam Domino, & tu remissi impietatem peccati mei.*

**T**AM avide tamque ex animo Propheta in hoc Psalmi penitentiae laudes est profecutus, ut nullum laudis argumentum, quo magis illam nobis commendare posset, voluerit praeterire. Principio siquidem penitentiam ab utilitate laudavit: deinde illius tam absolutam necessitatem exprimit, ut absque illa nullum peccatorem posse incolumitati restitui, dixerit. Nam quoniam sua peccata subticuerat, indicavit omnes animae suae virtutes fuisse immunitas: quod alioqui non contigisset, si sua peccata non erubuisse confiteri. Nunc demum penitentiam ab illius facilitate laudat, quod non parum est persuasionis argumentum. Quoniam sicut rei alicuius nimia difficultas deterret animum ab illius asecutione: ita contra facilitas impellit, sedum allicit animum ad illius amorem & prosecutionem. Postquam enim aliquis rem aliquam sibi utilem & necessariam intellexit, eo libentius se ad illius asecutionem accingit, quo minus difficultatis in ea re habiturum sperat. Non potuit autem apertius penitentiae facilitatem David indicare, quam his verbis, quae nunc pertractanda suscepimus, quibus sic ait: *Dixi, confitebor adversum me in iustitiam meam Domino, & tu remissi impietatem*

peccati mei. Nihil enim excogitari potest, quod nobis facilius sit, quam id, quod ex solo nostro arbitrio (non hic divinam excludo auxilium) pendere: Talis est omnis voluntatis operatio; quoniam (ut sapienter Augustinus docet) nihil tam est in potentate voluntatis, quam ipsa voluntas. Nam quod nunc David ait: *Dixi, voluntatis propositum offendit.* Ac si dixisset: *Apud hunc statum & decessit confiteri ad verum me in iustitiam meam Domino, & tu remissi impietatem peccati mei.* Non enim opus est ad gratiam recuperandam, ut homo statim post peccatum admisum illud confiteatur, sed abunde est peccatori, si de peccato doleat, & tempore, quo id facere poterit, confiteri decessit. Deus enim, qui nullis peccatorum sacrificiis aut holocaustis delectatur, sed solo corde placatur, nostram bonam voluntatem praefert quibuscumque operibus exterioribus: quapropter cum illa adest, sola sufficit ad primum amicitiae foederis, quae per peccatum rupta fuerat, resarcienda. Opera enim exteriora non semper Deus exigit a nobis: sed solum in eo temporis articulo requirit, qui urgentem ministrat necessitatem. Non est necessaria elemosynae largitio, quotiens pauper, cui possit tribui, se offert; sed cum talem agnosceris in paupere indigentiam, ut merito suspicemur illum facturum, aut vitae, aut salutis iacturam, nisi tempestive illi subveniatur. Illa enim, quae interdicta sunt, nullo tempore facere licet: quae vero praecipiantur, non semper illa exequi tenemur, sed eo solo tempore, quo urget necessitas. Et hoc etiam in sacramentorum perceptione verum habet. Nam & si baptismus sit necessarius, non tamen sic, ut is, qui ad fidem Christi, Deo inspirante, convertitur, non possit baptismum in aliquo tempore differre. Quamvis enim differret forte per anuum, modo firmam habeat in posterum suscipiendi voluntatem, iam inter filios Dei computandus venit. Tantumdem de peccatorum confessione censeo. Quoniam haec non statim est facienda, postquam in sui peccati cognitionem pervenit, sed differri absque peccato potest, nisi cogat necessitas. Nam multiplex haec contingere potest necessitas, quae hominem ad peccatorum suorum confessionem absque ab ulla mora faciendam cogat. Speciale siquidem de hac re praecipit, quo praecipitur aliquo certo tempore confessio, apertissima & urgentissima est necessitas cogens ad confessionem illo tempore faciendam, ita ut ultra moras protrahere non liceat. Et tale praecipit est circa omnes Christianos ab Ecclesia datum: ut quotannis circa festum paschae confiteantur. Et quosdam monachos suae regulae professio cogit ad confessionem certis & statis anni temporibus faciendam. His omnibus non licet confessionem ultra ea tempora differre. Altera & quidem urgentissima omnium necessitas est, cum quis est in manifesto mortis periculo, sive id ob acerbum aliquem morbum, aut propter varium belli, quod aggreditur, eventum, aut propter naufragium, aut propter aliud simile apertum mortis periculum contingat. Cum enim horum aliquod evenerit, omnem confessionis moram rumpere oportet, & ad confessionem, tamquam ad secundam post naufragium tabulam, celerissime accurere. Quoniam sine illa nullus potest evadere, ut tutum gloriae portum contingat. Propter quod ego cenferem eos, qui tempore acerbissima pestis, quae plurimos homines subito & insperato mori contigerit, non esse immunes a peccato, si per suorum peccatorum exactam confessionem, non sint

ad mortem parati. Nam cum pestis tunc plurimos insperato rapiat, iustum est, ut quisque sibi consulat, & alieno periculo cautus fiat; quoniam nascitur subito, nullis morborum aut dolorum praemisissis nuntiis, mors illam invadat: quamvis eo tempore mortem sine praevio nuntio advenisse, dici non debeat. Quoniam haec est divina voluntatis magnitudo, & pietatis excellentia, quod nunquam aliquem punit, quin hac ipsa punitione alios ad cautelam moveat. Misericordia enim Dei non solum ad eum pertingit, qui peccata peccatur: sed aliis omnibus prodesse cupit, illos aliorum punitione cautiore faciens. Si columbarum multitudinem aliquis sagittarius videret, & contra aliquam earum faciat sagittam, aut vibret arcum, omnes deterritur, & inde volant, quamvis una sola fuerit percussa. Itaque ille javari percussus, omnes terrerit, & fugere cogit: Sic etiam piensissimus Deus facit, qui cum unum aliquem morte improvvisa arripit, omnes alios deterrere vult, ut illius exemplo docti, alios a peccato fugere, & peccatorum confessionem facere cogat. Verum multi sunt brutis insensibiles, qui alienis periculis doceri nolunt. Haec est enim multorum duritia, ut non solum audiendo, sed etiam videndo, non credant alios interiisse, nisi & se ipsos viderint interire. Alia adhuc necessitas subesse potest, quo peccatorem ad confessionem statim faciendam cogat, cum scilicet talis tunc se offert Sacerdos, qui plenam habeat absolventi potestatem, cui si tunc confiteri renuat, non sperat illum aut alterum similis potestatis tempore statuto ab Ecclesia habere, cui sua possit plene peccata confiteri. Eo enim evenit, non est ullo modo dilatio confessionis toleranda, propterea quod ipsa dilatio periculum habet. Praeterea, qui Eucharistiam percipere decrevit, solum peccatorum confessionem illum facere oportet, antequam tantum mysterium sumat, nec satis est illi sola cordis contritio: quoniam duplici testimonio, contritionis videlicet & confessionis probatus esse debet, qui mysticum illud & benedictum panem edere vult. Extra haec vero tempora non est opus peccatori vocalem & clanculariam suorum peccatorum facere confessionem; sed satis est illi ad ineundam cum Deo amicitiam, ut male actorum illum poeniteat, & statuat illa Sacerdoti eo tempore in aurem dicere, quo ad id faciendum obligatur. Tantae enim aestimationis apud Deum est solum boni operis propositum, praesertim si opus tunc praestare non potest, aut praestare non tenetur, ut pro opere ipso a Deo recipiatur, qui plura voluntatem facit, quam opus. Non enim ob aliam causam paupercula illa vidua, quae minuta aera duo miserat in gazophylacium (Luc. 21.) plus omnibus missis iudicata est, quam quod multo magis, si facultates suppetrent, donare voluisset. Quae adens illius voluntas inde conjicitur, quod penuriam patiens, id, quo egere videbatur, ultro donavit. Cor enim nostrum Deus a nobis requirit, quod etiam si opera exteriora desint. Detum summo opere aliquando delectat, & sine quo caetera omnia illi placere non valent. Hoc autem David agnoscebat, ait: *Dixi, confitebor adversum me in iustitiam meam Domino, & tu remissi impietatem peccati mei.* Quod ait, *dixi*, propositum illius manifestat, quod tanti fuit apud Deum meriti, ut propter solum illud, subito Deus peccata relaxaverit: & tamquam si cuncta jam quae commiserat peccata prodidisset, ita illi remissa sunt quae confiteri decrevit. Qui autem tanti fecit solum confessionis promissionem, quanti putas faciet ipsum operationis effectum? Non enim dubito, quin bonae voluntatis praemium operatione ipsa crescat, sicut male voluntatis poenam Salvator no-

conatur, ut ille non malus, sed iustus omnium existimatione censetur. Dies ergo plena ira & furore divino veniet super omnes civitates munitas & angulos excelsos: quia extremi iudicii rigor, confringet eos, qui superbia tumentes, peccata sua in hoc mundo non accusare, sed excusare voluerunt. Tunc civitates quamlibet munitas cadent: quia nulla tunc proderit excusatio, ubi precepti domini fuit aperta transgressio. Tunc excelsi anguli corruent, quoniam peccatis suis plene manifestatis, superbiam suam, & ambitionem nulla iam poterunt duplicitate fulcire. Qui igitur peccatum suum coram Deo excusatum esse optat, ipse prius hic illud accusat: quoniam cum se hic accusaverit, Deum postea patronum habebit. Inde Job ait: (cap. 10.) *Dimittam adversum me eloquium meum.* Et iterum, (cap. 23.) *Et ego replebo os meum increpationibus.* Pro se eloquium suum dimittit, qui mala quæ fecit, excusationibus defendere conatur. Sed quia hoc malum esse diximus, & dura animadversione dignum, ideo Job, non pro se, sed contra se eloquium suum misit: quia non defendere, sed accusare studuit, quæ se male egisse cognovit. Non excusationibus, sed increpationibus os suum replevit, quoniam has potentissimas esse cognovit ad indulgentiam peccatorum promerendam. Hujus rei testem si quis requirat: Davidem offerimus, qui Deum alloquens, ait: *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Non solum postquam peccata sua confessus est & sibi illa scripsit, sed etiam cum id facere decrevit, peccatorum suorum remissionem obtinuit. Tu ergo si peccasti, dic iniquitates tuas ut iustificeris: illas adversus te consistere; illas non Deo, non dæmoni non fato, non felis, non aliis hominibus, sed tibi soli imputa. Et si id non potes commode statim facere, aut forte ad id non es paratus, aut denique quia non teneris, id statim præstare contemnis, modo ad præfatum exemplar plenam tuorum peccatorum confessionem te eo tempore facturum statuas, quo ad illam quavis lege faciendam constringeris, illico absque ulla mora peccatorum omnium veniam assequeris, & divinam gratiam impetrabis, per quam vitam assequi merearis æternam, præstante domino Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XII.

*Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.*

**I**NTER multa & varia, quibus Rhetores utuntur ad persuasionem argumenta, unum & non tenue aut debile est, ab exemplo illorum, quibus hoc ipsum contigit, quod aliis persuadere conantur. Habent enim maximam vim exempla, quæ sæpe tam vehementer urgent, ut cogere videantur, præsertim eos, qui tanta gloriæ cupiditate tanguntur, ut nunquam ab aliis vinci, aut quovis modo superari patiantur. Nam qui ejusmodi est, cum illustria aliorum gesta aut videt aut audit, quadam æmulatione illos imitari contendit, ne aliorum existimatione (quod maxime horret) inferior habeatur. (Ovid.)

*Tunc bene fortis equus referato carcere currit,*

*Cum quos prætereat, quosve sequatur habet.*

Acutissimum enim caleat animo ad currendum imprimis contemplatio aliorum qui præcedunt. Hac igitur de causa nunc Propheta peccatores ab exemplo sanctorum omnium ad penitentiam hortatur, dicens: *Pro hac orabit omnis*

*sanctus in tempore opportuno.* Quod dicit, pro hac aut impietatem, de qua in præcedenti versu dixerat intelligi, aut ipsius peccati remissionem, ita, ut Propheta sensus sit, omnem hominem quamlibet sanctum egere penitentia ad peccatorum remissionem obtinendam, & pro illa impetranda Deum orasse. Cui sententiæ sapientissimus Salomon consentit, (Eccle. 7.) dicens: *Non est iustus homo in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Nullus est enim homo (Christum semper, ejusque virginem matrem, cum de peccatis differam, exceptos esse præmoneo) qui aut mortali, aut veniali, aut denique originali peccato non fuerit infectus. Solus Christus est qui vere dicere potuit: (Joan. 14.) *Veni Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* Habet enim aliquid diabolus in peccatoribus, nec tamen æqualiter in omnibus: quoniam in aliis plus, in aliis vero minus habet. In illis enim qui mortali peccato sunt obnoxii, multum habet dæmon: quia totam illius conscientiam possidet tamquam habitaculum suum in quo moratur. Dæmones quidem sunt volucres: cœli, quæ in mentibus superbiorum nidus sibi faciunt. Illi etiam sunt vulpes, quæ in hypocritis, & aliis quibuslibet fraudulentis hominibus foveas habent, cum tamen in illis filius Dei non inveniat ubi caput suum reclinet. De his Job (cap. 37.) ait: *Ingrreditur bestia latibulum suum, & in antro suo commorabitur.* Bestiæ & quidem sævissimæ dæmones sunt, de quibus Propheta Deum orans, ait: (Psal. 73.) *Ne irasdas bestiis animas consentientes tibi.* Harum bestiarum latibula sunt peccatores. Tunc hujusmodi bestia latibulum suum ingreditur, cum homo dæmonis tentationi consentit. Tunc in antro suo commoratur, cum ille in semel cepto peccato perseverat. Sunt alii, in quibus dæmon aliquid habet, parum tamen illud est, quod ab illis exigere potest, quales sunt illi, qui solis peccatis venialibus sunt infecti. In his enim dæmon non inhabitat, quod charitatem illi habent, quæ dæmonem ibidem habitare non sinit. Illos perpetuo punire non potest etiam si tunc fuissent morte intercepti, sed solum habet jus, quo temporali & parum duratura poena illos affligere valet. Nullus fuit ab omni peccato homo liber, & per consequens nullus fuit homo, in quo Princeps mundi hujus aliquid non haberet. Habuisset etiam in Deipara virgine dæmon aliquid sicut in cæteris hominibus: quoniam eadem etiam naturæ lege fuit à parentibus suis genita, perinde ac illi; sed Deus illam in benedictionibus suis prævenit, gratiam animæ illius in creatione ejusdem conferens, per quam à dæmonis tributo liberaretur, ita ut reliqua tota terra Ægypti sub Pharaonis tributo manente (Gen. 47.) sola Dei genitrix, velut terra Sacerdotalis, in qua Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech natus est, ab omni prorsus dæmonis tributo libera sit. Christus autem non privilegio alicujus exemptionis, sed natura ipsa liber sic fuit, ut in illo solo Princeps mundi hujus nihil haberet. Ille solus fuit inter mortuos liber. Ille solus natura ab omni peccato liber, quia ille non naturæ legibus, ut cæteri homines ab utroque humano parente genitus est, sed qui juxta naturam divinam patrem in cœlis habuit sine matre, idem juxta humanam substantiam, matrem absque patre habuit in terris. Nulla ergo lege ille ad justitiam illam originalem retinebatur, quæ nostris primis parentibus data est, obligatur: quo fit, ut quamvis justitia originali caruerit, peccato tamen originali non fuerit infectus. Qui autem mundum sine peccato ingressus est, nullum in mundo conversatus, aut inde exiens, peccatum habuisse convincitur. Propter quod hujus mundi Princeps, nihil

in

in Christo Salvatore nostro habuisse dicitur. In cæteris autem hominibus quamlibet sanctis aliquid dæmonis habuit, quia omnes illi (ut ait Apostolus Rom. 5.) in Adam peccaverunt: ab illo omnes vitiatam naturam traxerant, quo fit, ut nullus sit, qui mundus à culpa in hunc mundum ingrediatur, cum nullus sit, qui vel originali culpa non inficiatur. Ex qua pessima radice, modo vita ad provecum ducatur ætatem, necessario aliquis alius similis farinæ pullulabit ramus: quoniam & si multi sunt, qui Deo adiutore longam vitam absque ullo lethali crimine transegerunt, sine venialibus tamen nullis. De istis enim peccatis loquitur Sapiens, (Prov. 24.) cum ait: *Septies in die cadit iustus.* Et de eisdem loquitur Jacobus Apostolus (cap. 3.) dicens: *In multis offendimus omnes.* Et propter hanc causam beatus Joannes dicit: (1. 1.) *Si diximus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nam quamvis multa sanctitate viri alii qui fulgeant, semper tamen in eis erit aliquid, per quod humiliari eos oporteat. Quis sanctior Paulo, qui condelectatur legi Dei secundum interiore hominem? (2. Cor. 12.) Ille tamen à stimulo carnis suæ premebatur, & rogans Deum ut illum à se auferret, non est exauditus, ut haberet in quo virtutem excederet suam, & ex infirmitate carnis suæ, humilitatis occasionem sumeret, & sic virtutem in infirmitate perficeret: *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem, quanto magis hi qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, consumuntur velut à tineis?* (Job. 4.) Multi Angelorum, qui à Deo, ut illi servirent, conditi fuerant, stabiles non fuerunt: quoniam eisi in veritate creati fuerant, in illa tamen non steterunt, sicut de Lucifero Salvatore noster ait: (Joan. 8.) *quod in veritate non stetit.* Domos luteas animæ humanæ habent quamdiu in corporibus his velut in quibusdam domibus habitant. Quæ domus non lapideæ, sed luteæ propter fragilitatem illarum dicuntur. Nam ob hanc causam idem Job ad instar luti se conditum esse alibi testatur est: *Memento* (inquit cap. 10.) *quod sicut lutum feceris me.* Harum domorum fundamentum est cibus & potus: quoniam hujusmodi rebus corporis vita sulcitur, & his innititur, ut conservetur: quibus sublatis, velut fundamentum dejecto, domum corruiere est necesse. Qui has domos habitant, animæ scilicet, consumuntur velut à tineis. Nam hoc est tineæ peculiare, ut eandem vestem mole nigunt, nascendo corrumpat, ita ex carne nostra bestialis oritur concupiscentia, quæ eandem carnem simul & animam lacerat. Si spiritus angelici, qui nulla carnis mole premuntur, à veritate, in qua conditi fuerant, ceciderunt: quomodo animæ, quas corpus aggravat, & ad inferiora trahit, poterunt stare, ut non sæpe in vitia corruant? Bene ergo dictum est, quod non est homo, qui non peccet. (3. Reg. 8.) Quod autem Paulus ait: *nihil mihi confisus sum.* Et rursus Job ait: *Neque reprehendit me cor meum in tota vita mea.* De mortalibus intelligendum est, sine quibus multos sanctos vixisse constat, alioqui sibi ipsi non constaret Job, qui alibi ait: *Signasti quasi in sæculo peccata mea.* Non est ergo homo, qui aliquo modo non peccet, etiam si sanctus ille sit. Omnis ergo sanctus opus habet rogare Deum pro sui peccati remissione impetranda. *Pro hac orabit omnis sanctus in tempore opportuno.* Hinc est quod Christus Salvatore noster orare nos docens, pro peccatorum remissione, etiam orare instruxit. Nam inter alias illius orationis petitiones, hæc una est. (Matth. 6.) *Dimitte nobis debita nostra* (vel juxta alium Evangelistam Luc. 6.) *dimitte nobis peccata nostra.* Salubriter quidem &

prudenter Salvator noster ita orare admonuit, ut dum peccatorum veniam à Deo petimus, conscientia suæ nos ter animus recordetur, & peccatores nos esse quotidie agnoscamus, qui pro peccatis nostris quotidie orare docemur. Quam orationem Ecclesia toto terrarum orbe diffusa quotidie dicit, quia intelligit se in hac vita præsentem, quæ mille periculis patet, & tot miseris feater, nondum esse sine macula & sine roga, quousque in aliam transmigrat vitam, in qua plene mundata sit. Quis ergo tam effrons erit, ut innocentiam sibi arrogare non erubescat? Quis etiam tam superbus, ut sine peccato se esse glorietur? Pelagius quidem & illius fautores, quos pater mendaciam petissero errore decepit, ut dicerent non sint veriti, iustorum vitam in hoc sæculo nullum omnino habere peccatum, quamvis propter humilitatem oportere dixerunt, ut omnes peccatores esse fateantur, quasi humilitas ad sui conscientiam mendacio aliquo egeat, & non potius veritatem exigat, ut vera illa esse possit humilitas. Falla quidem convincitur esse humilitas, quæ aperit se uerter mendacio, ut consistere possit. Sed si (ut hæc missa faciamus) nullus iustus peccat, quo pacto teste Salomone septies in die cadit? Præterea beatus Joannes non dixit superbos esse & arrogantes qui dicant se non habere peccatum, sed dixit illos esse mendaces; mendacium ergo est, iustorum vitam in hoc sæculo esse sine peccato. Rursus si iustus in hoc sæculo sine crimine vivit, quare (Christo Salvatore nostro id facere docente) pro sui peccati remissionem Deum orat, dicens: *Dimitte nobis debita nostra?* Verum ne se hoc argumento convictos faterentur, rimulam quamdam, quæ elabi possent, quærentes, dixerunt iustos viros ita orantes pro aliorum peccatis petere, non pro suis. Hanc tamen sententiam multorum iustorum exempla redarguunt. Iustus erat Job, & tamen pro peccatis suis orat, dicens: (Job. 14.) *Parce peccatis meis.* Daniel Sanctus & iustus Deum sic oravit: (Dan. 6.) *Peccavimus, iniquitatem fecimus, & reliqua multa, quæ ibi non minus veraciter quam humiliter fateatur. Ne autem puraretur, quod priora verba non de suis, sed potius populi sui peccatis dixerit, post verba illa subdidit. Cum orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi Domino Deo nostro.* Nolut loqui dicere peccata nostra, sed dixit populi sui & sua, quia futuros Pelagianos, qui tam male intelligerent, tamquam Propheta prævidit. Sanctus erat Jacobus, qui dixit: (cap. 3.) *In multis offendimus omnes.* Quare dixit omnes, nisi ut neminem à peccato liberum esse crederet? Et sapientissimus Salomon in sua oratione dixit: (3. Reg. 8.) *Non est homo qui non peccet.* Aut ergo iustus homo non erit, aut sine peccato non erit. Si omnis homo quamlibet sanctus peccato non caret, necessaria erit omni homini etiam sancto oratio, quæ Deum pro peccatis suis precetur. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Si sancti pro suis peccatis orant, cur peccatores pro suis Deum orare recusant? Orate Deum peccatores omnes, & dicite illi: *Dimitte nobis peccata nostra.* Nam si hoc ex animo dixeritis, fidelis est Deus, qui vere (& ut decet) petentibus se non negabit. Vera enim oratio peccatorum remissionem absque dubio impetrare valet: quoniam quæ talis est sine lachrymis esse non potest. Immo quo magis mireris, lachrymæ ipsæ si ex animo oriuntur, petitiones sunt, quæ mox ut eruperunt Deo innotescunt. Tacentes petunt, nec repulsam pati noverunt, quoniam quicquid petunt, obtinent. Unde Propheta in (Psal. 38.) ait: *Aribus percipe lachrymas meas.* Non dixit, vide lachrymas meas, sed aribus percipe. Clamare ergo illas convincitur, cum non

non oculis, sed auribus percipi debeant. Hic mihi fortasse aliquis objiciet, quod cæcus ille evangelicus jam visui restitutus, dixit: (Joan. 9.) *Peccatores Deus non exaudit.* Si Deus peccatores non exaudit, etiam cum illi pro suorum peccatorum remissione Deum oraverint, non impetrabunt. Cui objectioni melius responderi posse non puto, quam quod Augustinus ibidem ait: *Adhuc*, inquit, *innatus loquitur, nam & peccatores Deus exaudit.* Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus orator in terram demittens, & pectus suam percutiens, diceret: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et ista confessio merito justificationem, quomodo iste cæcus illuminationem. Hæc Augustinus. Quod si quis cæcum vera dixisse contendat, ejus dictum ad solam miraculorum operationem referendum erit, ita, ut sentiat cæcus Deum non concedere peccatoribus signorum operationem, quod verum est, præsertim si talia sunt in testimonium sanctitatis ipsius operantis. Alloqui si in fidei catholice testimonium sunt, etiam ad petitionem peccatorum miracula sunt, ut patet de Exorcistis Judæis, in quos nomen Jesu invocantes demon insilit. (Act. 19.) Audit igitur Deus perentes remissionem peccatorum vere & ex corde, non ut peccatores, sed ut penitentes. Nam simul atque petierint remissionem, transferuntur ab ordine peccatorum, in ordinem penitentium. Hinc Sapiens peccatorem hortatur, dicens: (Eccle. 17.) *Præcare Dominum, & minue offendicula.* Et Apostolorum Princeps Simoni pecunia offerenti pro potestate conferendi donum Dei, dixit: (Act. 8.) *Rega Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Servus ille decem millium talentorum debitor oratione sua remissionem omnium illorum à Rege impetravit, quæ rata permanisset, si eandem ille confervo suo impendisset misericordiam, quam à Domino suo acceperat. Nam cum ille confervo suo austerus nimis fuisset, Rex increpans illum, dixit illi: (Matt. 18.) *Omne debitum dimisit tibi, quoniam rogasti me.* Debita nostra peccata sunt, quæ nobis Deus dimittit, cum pro illorum remissione firmiter & cum fiducia illam oramus. Qua in re benignitas Dei simul & liberalitas ejus maxime elucet: de non passivam eum tantum sit debitum, ut pro uno solo peccato omnes omnium hominum facultates non sint solvendo, ille tamen facile nobis omnia donat, si ab illo humiliter remissionem petere non recusamus. Facile quidem peccatorum remedium, quod minimo labore consistat, reliquit nobis Deus. Non est quidem via longa eunda, non mare transfretandum, nulla sunt opes expendendæ, sola à te exigitur, humilis postulatio. Absque sumptu & cruciatu est hujusmodi antidotum in pristina valetudinis firmitate restituens. Talia vulnerum remedia largiunt nobis clementissimus Dominus. Cum ergo tam facilis sit hæc peccatorum medicina, quæ solam veram orationem exigit, negligentissimus merito reputabitur, qui illam accipere contempserit. Si rem grandem à nobis exegisset Deus, certe offerre ultro deberemus pro tam immensi debiti remissione, quanto magis cum rem tam facilem à nobis requirit, ut sola delictorum confessione, & humili veniæ postulatione sit contentus. Hic fortasse aliquis contra sentire conabitur, dicens carum nimis esse quod precibus emittitur, adeo, ut multi homines libentius pecunias, quam preces effundere velint. Esto apud homines justa id faciendi & honesta possit succedere occasio, non tamen apud Deum. Recusabant enim homines ab aliis petere ea quæ vilescunt, & modico pretio haberi possunt, & pro hujusmodi rebus citius pecunias, quam preces sunt offerre parati. Quamvis etiam

res magis sit apud illum estimationis, ab inferiori vero aut æquali, superbia renitente, nunquam eam petere attemptabit; ne hac ratione inferiori illo se esse fatetur. Si ille etiam quem precaturus est sit dignitate & potestate multo superior, petere adhuc formidabit, propterea quod timebit peritionis suæ: repulsam pati, quod si contingat, durum existimatur. Unde illud Poetæ (Martialis) *Adhuc Durum est Sexte negare, cum rogeris, nisi quibusdā modis.* Quanto durius antequam rogeris? *Memorato loquor.* Hæc autem omnia absunt, longissime ab eo qui pro sui peccati remissione Deum orat. Rem siquidem tantam petit, quantum nullus hominum dare potest, immo nec Angelorum. Propter quod Judæi eum audirent, Christum cuidam paralytico dicentem: dimittuntur tibi peccata tua: murmurabant dicentes: (Luc. 5.) *Quid hic sic loquitur? Blasphematur. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Tanta res est peccati remissio, ut regnis & principatibus præset, parum hoc esset, nisi etiam toti huic mundo iure præponeretur: *Quid prodest homini si universum mundum lucratur, anima vero sua detrimentum patitur?* (Mat. 16.) Deinde quantum sit Deus quovis homine superior, nec lingua exprimere, nec mens humana capere sufficit. Ille est qui in femore suo scriptum habet: (Apoc. 19.) *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Ille est, coram quo curvantur qui portant orbem. Ille est, cujus mantis nemo effugere potest. Quis ergo tu es, o peccator, qui Deum orare dignaris? Quem te ipsum facis, cui Deum precari contemnis? *Excelsus celo es, & quid facies? Profundior inferno, unde agnosces? Longior terra, mensura ejus, & latior mari.* (Job. 11.) Si subvertent omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? vel quis dicere ei poterit, cur ita facis? Ipse enim novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne considerat? Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri se liberum natum putat. Tu ergo o peccator crede mihi, noli in superbiam contra omnipotentem erigi; humiliare sub omnipotentem manu illius: expande ad illum manus tuas: & pete ab illo tuorum omnium peccatorum veniam. Ut autem illam assequaris, crede firmiter te assecuturum, & obtinebis. Crede te non passivam veritatem, si vere & ex animo petieris, & de illius veritate & bonitate speraveris. Numquam ille fallere novit. Cogitationes illius non sunt, ut cogitationes hominum: *Non est Deus quasi homo ut mentiat* (Num. 23.) Ille autem dixit (Mat. 7.) *Petite, & accipietis.* Et iterum (Joan. 16.) *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Cum ergo tam firmiter suam fidem ille nobis obstrinxerit, non est cur petere formides. Cælum & terra transire poterunt, verba tamen illius nunquam poterunt prætere, sic, ut facta ille dictis non compenset. Pete ergo ab illo totorum veniam peccatorum: quoniam ille donare novit, si tu petere scias. Nullas unquam vere & ex animo ab illo petiit, qui non impetraverit. Petiit David adulterium & homicidii crimem sibi donari, & obtinuit (2. Reg. 12.) Precatur Petrus amarissimo fletu pro scelere abjurata negationis, & exauditur. (Mat. 26.) Orat publicanus pro suis ad Deum delictis, percutiens pectus suum; & descendit de templo, in quo orabat, justior, quam pharisæus. (Luc. 18) Petiit Magdalena corde magis quam voce suorum veniam peccatorum, & audivit à Domino (Luc. 7.) *Remittuntur tibi peccata tua.* Lætro denique in cruce pendens postquam se digna factis suis pati confessus est, postulavit à Christo Salvatore nostro, ut illius in regno suo memor esset, & sic exauditus est, ut ab eodem Salvatore audire mereretur: (Luc. 23.) *Hodie mecum eris in paradiso.* O immensam Dei

clementiam! O largissimam misericordiam! Non arctatur illa. Non clauditur sine. Nullas habet metas. Sit qui invocet, & erit qui exaudiat. Sit qui peccet, & non deserit qui indulgeat: *Pro hac orabit omnis sanctus in tempore opportuno.* (Eccle. 3.) Verum hic monere dignus duxi quod ille ait, *in tempore opportuno.* Omnia tempus habent, ait Sapiens, & suis spatiis transcunt universa sub cælo. Tempus stendi, & tempus trahendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi. Tempus etiam orandi, & tempus cessandi ab oratione. Præsens hæc vita stertit deputanda est: sequens vero ad risum destinata, Hæc ad plandum, illa ad exultationem definita. Hæc orationibus & petitionibus convenit: illa vero ad fruendum eo quod orationibus aliique meritis à Deo impetratum est. Hæc ad meritum, illa ad præmium. Tempus opportunum interveniendi pro aliquo est, quando ille emendari potest. Tempus opportunum est vita præsens, in qua qui pro sui peccati remissione non oraverit, postea & si oraverit, nihil ei ad salutem proderit oratio. Igitur dum tempus habemus, operemur bonum. Nunc enim tempus est acceptabile ad penitentiam, ad lachrymas, ad orationem, ad peccatorum confessionem faciendam, & remissionem obtinendam. Post mortem inemptiva est confessio, inemptiva etiam oratio. Ideo enim dives ille (Luc. 16) qui induebatur purpura & bysso, cum rogasset patrem, ut mitteret Lazarum, qui digito inringens refrigeraret linguam illius, non est exauditus. Inutiliter quidem rogavit in inferno, qui utiliter rogasset in mundo. Si igitur post mortem non est accepta penitentia, neque igitur post mortem oratio, oportet, ut penitentiam non differamus: quoniam (ut ille optime dixit) Semper nocuit differre paratis. Nescit enim homo finem suum: ignorat an diem illum, in quem penitentiam differet, videbit. Propter quod Sapiens ait: (Eccle. 5.) *Non tardes converti ad Dominum: & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius: & in tempore vindictæ disperdet te.* Tempore ergo accepto, clamemus ad Deum pro nostrorum venia peccatorum, & exaudiet nos. In die salutis invocemus illum, & adjuvabit nos. Tempore opportuno confiteamur peccata nostra, & illorum remissionem ab illo petamus, credentes, quod misericors est, & prestabilis super malitia: credentes insuper, quod fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate, ut sic mundatos, introducat in regnum gloriæ suæ, per merita Jesu Christi Filii sui, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XIII.

*Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.*

Supra dixerat, temporis opportunitatem esse summè necessariam, ut oratio, quæ pro peccatorum remissione ad Deum fit, aliquid impetrate valeat; nunc explicat, quale tempus non sit opportunum, & ait: *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Sed hic percontari libet, an Propheta censet aliud fore diluvium, quale scriptura sacra testatur olim tempore Noe jam præcessisse. (Gen. 7.) Nequaquam hoc Prophetam sensisse ullo modo suspicari licet: quoniam Deus jam olim fidem suam obstrinxerat, nunquam tale futurum diluvium, sic inquit: (Gen. 9.) *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis*

*diuvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram.* Et in hujus fœderis signum posuit arcum suum in nubibus cæli, illo videlicet loco, quo ab omnibus conspici posset. Arcus autem hic ignem & aquam ostendit: quoniam ex parte cæruleo, & ex parte rubiundo afficitur colore, quo duplici colore, utrumque testatur iudicium, unum videlicet jam per aquam factum, & alterum per ignem faciendum. Quotiescumque hic arcus apparet, Deo ita volente, innuit nobis terram non amplius aquarum inundatione esse perendam. Esto etiam aliud esset futurum diluvium, nihil obstaret illa aquarum inundatio, quominus ad Deum approximare possit peccator. *Quid ergo est quod ait David, verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt?* Cogimur certe hic mysticam & spiritualem intelligentiam, & non solam litteræ superficiem amplecti: quoniam (ut ait Paulus 2. Corinth. 3.) *littera occidit, Spiritus autem est qui vivificat.* Juxta mysticam igitur hujus litteræ intelligentiam varie hic locus à Doctoribus exponitur: quoniam alius aliam huic litteræ præbet interpretationem. Nec mirum, nam cum diluvium sit quedam aquarum inundatio, oportebit, ut juxta variam in sacris scripturis aquæ significationem, varia etiam sit diluvii significatio. Aliquando enim aquarum nomine significantur varie hæreticorum doctrinæ, sicut apud Salomonem (Prov. 9.) dicitur: *Aque furtivæ dulciores sunt.* Dulcior quippe falsis ac perditis hæreticis doctrina eorum videtur, quam aqua sapientiæ salutaris, doctrina scilicet Ecclesiæ catholice. Harum ergo aquarum diluvium erit multiplicitas doctrinarum. Et de hoc aquarum diluvio censet Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Cassiodorus hunc Psalmi versiculum posse intelligi: quoniam doctrina Dei una est, hæreticorum autem multæ & variæ, & quo magis quisque hanc doctrinarum varietatem sequitur, eo magis à Deo vero recedit. Propter quod Paulus monet nos, ut ab hujusmodi doctrinarum varietate fugiamus, sic inquit: (Hebr. 14.) *Doctrinis variis & peregrinis nolite abducī.* Illi ergo tempore opportunum ad peccatorum remissionem assequendam non habent, qui in diluvio aquarum multarum, id est, variarum doctrinarum sunt. Nam sicut una est Ecclesiæ catholica, & unum baptisma, ita etiam una fides, unum Evangelium, una doctrina. Quoniam & si quatuor sint Evangelia, unum tamen est eorum quatuor Evangelium: quoniam idem omnes sentiunt, nullus alteri dissentit. Hinc est quod Ezechiel Propheta, sancta illa quatuor animalia describens, quæ Evangelistarum figuram tenet, quatuor facies eorum quodlibet habere dixit, hoc est, suam & aliorum trium. Quodlibet eorum facies aliorum trium habet, quia (ut verbis beati Gregorii utar) si quæras quid Matthæus de incarnatione Domini sentiat, hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas, & Joannes. Si quæras quid Joannes sentiat, hoc procul dubio quod Lucas, Marcus, & Matthæus. Hoc idem de Marco & Luca sentire oportet. Concorditer sentiunt, concorditer scribunt. Neque aliter sentire poterant, cum esset eorum cor unum, & anima una. Nam si illorum sensus variassent, variassent etiam corda erat necesse. Propter hoc eam illorum omnium cor unum esse dicitur, quia unus erat illorum sensus, una illorum fides, una doctrina. Una ergo est totius Ecclesiæ doctrina, quam per tot sæcula à Christo nato ad hunc usque diem servavit, docuit, & credidit. Hæreticorum autem non una est doctrina, sed multæ. Hoc enim solemne est illis, ut nunquam unitatem custodiant, quam nobis obnixè commendavit Paulus, dicens: (Eph. 4.) *Solliciti servare unitatem Spiritus*

in vinculo pacis. Sed quisque illorum aliquid novi asserere fatagit, quod aliis doctori videri possit. Hoc tale doctrinarum variarum diluuium, Germaniam nunc (heu) totam inundat, in qua tam multa sunt hæreticorum dogmata, ut vix duæ aut tres sint civitates, inter quas de eodem dogmate conveniat. Qui ab hac doctrinæ unitate recedit, eo ipso à Deo se longissime separat. Quoniam in diluuium aquarum multarum ad eum non approximabunt. Hæc interpretatio adeo placuit Gregorio & Casiodoro, ut nullius alterius meminerint. Ego tamen illam sic probō, ut illam nec ausim refellere, nec mordicus tenere. Non enim ego talis sum ac tantus, ut quod illi probaverunt, ego improbare audeam. Verum neque illi tales sunt ac tanti, etiam si gigantes magni sint, ut nobis in scripturarum sacrarum interpretatione præscribere possint, ut aliter, quam illi interpretati sunt, scripturam sacram interpretari non liceat, præsertim, cum scriptura sacra tam fecunda sit in sententiis, ut non solum binos, sed ternos, & quaternos alar uberes fœrus. Sit ergo illorum interpretatio vera, & literæ conveniens, ego tunc aliter (& forte convenientius) de multiplicitate tribulationum posse intelligi non dubito. Nam aquarum nomine, tribulationis varietas & multitudo sæpe in sacris litteris significatur: quoniam sicut alta aqua multos sæpe sic opprimit, ut in ea pereant & suffocentur, ita magnitudo tribulationis multos vitiis succumbere facit. Propterea ille, cujus via in mari erat, & semitæ in aquis multis, divinum implorabat auxilium, dicens: (Psal. 68.) *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Deinde sicut aqua extinguit ignem, sic tribulatio aliquorum charitatem. Non omnis omnem, quum & si magna & vehemens tribulatio parvam charitatis scintillam extinguere valeat, magnum tamen charitatis ignem non solum non extinguit, sed sæpissime auget. Hæc est enim illa aquarum multitudo, de qua in canticis (cap. 8.) dicitur: *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* Quia quæ vera charitas est, omnia suffert, propter quod nulla ei tribulatio obesse poterit. Cum iuges & multiplices & vehementes sunt tribulationes, tunc quasi torrens inundans est tribulatio. Hæc enim metaphoræ usus est Bñas (cap. 48.) dicens: *Iustitia tua sicut gurgites maris.* Et ipsemet Deus tribui Juda & Benjamin per Prophetam Oseam minatur, dicens: (Ose. 5.) *Effundam super eos quasi aquam iram meam.* Vide hic iram Dei aquæ effusæ comparatam: quoniam aqua impetuosa, & torrens aliquis immodicis imbribus, & nivibus dissolutis exasperatus, multa dissipare solet, sic ira Dei, nisi misericordiæ recordari velit, omnes peccatores evertit. Harum aquarum diluuium tunc erit, quando Deus ad iudicium venerit. Est etiam diluuium aquarum in morte cujuslibet peccatoris, illius præsertim, qui in multis delictis vitam suam transgessit, cujus conscientiam multa acculant peccata. Sed hoc diluuium particulare est, aliud vero generale. De utroque istorum hunc Psalmi versiculum posse intelligi censeo, ita, ut per illa verba Propheta doceat, nec illius tremendi iudicii tempus, nec mortis horam esse tempus opportunum ad peccatorum remissionem obtinendam. Hoc tamen inter unum & alterum tempus interest, quod ultimi iudicii tempus, omnino importunum est, ut quis pro suis peccatis exoret, quoniam & si cum lacrymis multis peccatum sibi remitti petat, numquam tamen impetrabit. At mortis tempus non sic est importunum, ut qui tunc vere penitet, exardere non possit: quoniam ante ultimum vitæ hiatum numquam Deus sic misericordiæ portas claudit peccatori, ut cum virginibus tarde venientibus dicatur il-

li. (Matth. 25.) *Claustra sunt janua.* Sed ideo tempus illud tunc est importunum, quia & si Deus paratus sit audire, qui tamen male habet, & torquetur, non est tunc aptus ad orandum. Duplex itaque est importunum orationis tempus, alterum, cum mors peccatori instat, alterum, cum iudicatur, aut cum jam iudicatus est. In altero peccator, etiam si velit, non est ad orandum aptus: quoniam multa sunt quæ illum ab oratione avertunt. In altero, etiam si peccator omnes suas expenderit in oratione vires, Deus jam non est audire paratus: quoniam terminum orationi constituit, quem numquam transgredietur. De utroque ergo tempore, sub nomine diluuii aquarum multarum David ait: *Veruntamen in diluuium aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Quoniam in hora mortis rarus est qui ad Deum appropinquet, si antea longe ab illo per peccatum receperat. In iudicio autem nullus jam ad illum redire poterit ex iis, quos mors extra salutis statum intercepit. Et huic nostræ interpretationi non desunt magni nominis patroni. Nam Hieronymus & si primæ interpretationi utcumque faveat, hæc tamen inter alias, quasi magis literæ germanam, primo loco posuit. Cum enim in expositione proximæ præcedentis versiculi dixisset tempus opportunum ad orandum esse vitam præsentem, statim in interpretatione præsentis versus hæc subdidit. Multi fluctus diluuiorum in iudicio impios vallabunt, qui sanctis nocitura non erunt. *Veruntamen in diluuium aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Hæc Hieronymus. Beatus etiam Augustinus in prima hujus Psalmi expositione (nam in secunda, quam de hoc Psalmo edidit expositione, hunc versum de multiplicitate doctrinæ exponit) de iudicii die interpretatur. Ex quibus constat, & Augustinum, & Hieronymum aquarum nomine, tribulationem, & dolorem intellexisse. Propter quod illos ego imitatus, de hora mortis & iudicii tempore hunc locum pertractandum censui, quoniam in hora mortis etiam est huiusmodi aquarum inundatio, quamvis non tanta, sicut in iudicio. Singula igitur suo ordine discutiamus, & primo de extrema valetudine, postea vero de die iudicii hunc versum pertractemus. *Veruntamen in diluuium aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Tanta est sæpenumero in morte plurimorum inundatio tribulationum, ut merito tunc diluuium aquarum multarum dicere possis. Primo quidem ipse mortis timor moribundum hominem præsertim vivere cupientem, vehementissime cruciat. Crux enim, & quidem acerbissima, est illi, qui timet, quem vincere non potest. Quis autem tam invictus unquam fuit, qui tandem à morte non vinceretur? Aut quis umquam tam liber natus est, qui mortis legibus non sit parere coactus? (Ovidius.)

*Tendimus huc omnes, metam præparamus ad unam.*

*Omnia sub leges mors vocat atra suas.*

Quo fit, ut ipse mortis timor sine dolore acerbissimo esse non possit in illo, qui mortis manus se effugere posse non credit. Et tanto major erit hic cruciatus, quanto minores suppetunt illi ad tolerandum vires. Longa siquidem valetudo, corporis & animi robur profus dejicere, nedum minuere solet: unde evenire necesse est, ut membra prolixo languore debilitata, minimo dolore crudelissime torqueantur. Sunt adhuc alia multa præter ipsum languoris dolorem, quæ morientem hominem vexare solent. Mundi, quem deserit, & deliciarum illius immodicus amor. Uxor quam effrenare adamavit: filii, quos illicite dilexit. Divitiæ, pro quibus congregandis tor labores subiit, toties maria transfretavit, toties Deum sprevit, ut illum divitiis post-

post poneret. Cum hæc omnia, velit, nolit, se derelicturum consideret, quanto putas dolore ille afficietur? Fieri quidem est necesse, ut tanto crucietur merore hæc omnia amittens, quanto exultabat gaudio illa possidens. Quis jam tam durus ac ferreus erit, ut mens illius tot doloribus non perficiatur? Quis tam constans, ut tot ictibus non deiciatur? Cujus iudicium tam firmum erit & stabile, ut inter tot cruciatus non vacillet? Est enim tanta doloris vis, ut sæpe mentem à rationis usu dimoveat: Nam & metus, qui impendentis mali opinio à Cicerone definitur, hoc efficere potest. Ipse enim Tullius pavorem definiens, dicit esse metum mentem de loco moventem. In cujus rei confirmationem Ennius adducit dicentem. Tum pavor mihi sapientiam omnem ex animo expectat. Et Sapiens ob hanc causam animi ageritudinem vino multo comparasse mihi videtur: *Amariudo anima,* inquit ille (Ecl. 31.) *vinum multum.* Nam sicut vinum multum corpus inebriare solet, & mentem à ratione separare: ita etiam nimius dolor, aut nimia tristitia mentem ebriam facit, ut compos iudicii illa non sit. Ita enim natura comparatum est, ut longe acrius ea perturbent quæ molesta sunt, quam jucunda delectent. Cum igitur voluptates & libidines rationem à mente procul abiciant, hoc idem dolores efficere posse erit necesse. Age nunc obsecro, quo pacto qui mentis defectum patitur, dignam poterit agere penitentiam: ad quam tanta exigitur peccatorum investigatio, tanta illorum cognitio, quantam vix ullus acutissimus homo sine Dei speciali auxilio præstare poterit? Sunt enim illorum multa tam abdita atque reclusa, ut ipsos ilorum auctores quamlibet doctos atque prudentes sapientissime lateant. Nam pro his Propheta Deum orabat dicens. (Psal. 18.) *Ab occultis meis munda me Domine.* Is igitur, qui mortis doloribus jam est circumventus, non est orationi aut penitentia aptus: quoniam, ipsi doloribus urgentibus, vix potest quicquam aliud, quam morbum cogitare; quo fit, ut non solum occulta, sed manifestissima quæ illum latebant peccata, & quæ ante languorem ob oculos semper versabantur, illa sint magis oblivioni tradita. *Veruntamen in diluuium aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Quoniam in morte, ubi est dolorum inundatio, homo vix de peccatis cogitare permittitur. Eïso enim morbus tam mitis sit, & dolores tam leves, ut per illos peccata sua recogitare homini morienti liceat, & omnia in memoriam revocare valeat, vix tamen qui longam cum peccatis traxit consuetudinem, poterit tunc ab illis divelli. Vix poterit subito detestari, & (ut decet) abominari, quæ longo tempore ante aidenter amaverat. Tanta est enim consuetudinis vis, ut fere transeat in naturam. Propter quod Deus Judæis longa peccatorum consuetudine obduratis per Prophetam Hieremiam loquens, (cap. 13.) ait: *Simulare poterit æstivum pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Ut quis longam vincat consuetudinem, maximis viribus indiget; quomodo ergo illum superare poterit, qui omnibus fere corporis & animæ viribus esse desitutus? Et si forte se peccata penitet, non tamen ea penitentiæ, quæ ad peccatorum remissionem imperandam sit satis. Illa enim quæ pro peccatis intercedere valet (ut in alio sermone jam me longius dixisse memini) à charitate proficisci debet: quoniam illa, quæ à solo timore oritur, & si profus inutilis non sit confidenda, pro peccatorum tamen remissione Deum exorare non valet. Nam (ut beatus Augustinus ait) oportet non solum timere iudicem, sed diligere; arbitrii enim libertatem querit ille, ut dolere possit com-

missa, non necessitatem, charitatem, non timorem. At, qui antea peccatis assueti, & jam mortis timore cogente peccata sua desunt, & illa Sacerdoti confitentur, creduntur non propter Dei amorem & verum peccati odium id facere, sed pœnarum timore, quas ni id fecerint, certas sibi paratas sciunt. Hoc autem in mortis ita esse, vel ex eo facile conjici potest, quod si contingit eos convalescere, peccata, quibus per confessionem renuntiaverunt, repetunt, & tamquam canes ad vomitum redeunt. Est adhuc aliud, & certe omnium horum urgentissimum argumentum, per quod aperte convincitur, ut homini peccatis assueti, difficilima sit in mortis articulo penitentia: quoniam tunc dæmon magna sedulitate, & acerrima tentatione morientem invadit. Tunc duriora apponit certamina, tunc acutius illum constringit, & tanto vehementius oppugnat, quanto jam brevius tempus sibi ad vincendum remansisse videt. Nam Pharaon ille, (Exod. 14.) qui filios Israel in Ægypto existentes durissime afflixit, multo potentiori apparatu, & vehementiore exercitu illos est insequutus ex Ægypto exeuntes, quam in Ægypto morantes. Hoc idem dæmoni contingit, qui morientem hominem, velut ex Ægypto exeuntem, acutius affligit, quam in mundo existentem. Cognoscit siquidem post mortem nullum esse pugna locum, ac proinde omnes suas tunc expendit vires, ut illum in sui ditionem venire cogat. Hoc est quod Propheta pertimescens dicebat: (Psal. 55.) *Ipsi calcaneum meum observabunt.* Calcaneum nostrum dæmones observant, cum mori nolit: illi insidiantur. Per calcaneum, quod finis est corporis, mortem intelligimus, quæ terminus est vitæ præsentis. Et bene calcaneo comparatur: quoniam hunc à tergo portamus, & vix illum & raro conspiciamus. Nihil est autem quod magis nostros oculos effugiat, quam mors, raro, & quasi coacti, de illa cogitamus. Hunc calcaneum maligni spiritus observant; quia circa finem vitæ præsentis nos supplantare conantur. Propter quod serpenti à Domino dicitur: (Gen. 3.) *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Caput serpentis initium est diabolicæ suggestionis. Caput ergo serpentis conterit, qui initium tentationis diabolicæ contradicit, sed serpens, qui in principiis vincitur, percutere calcaneum molitur, quia vitæ initia quamvis quisque bona & studiosa habeat, dæmon contemnit, modo illum ad malum vitæ exitum perducere possit. Scit enim optime dæmon, quod Deus non considerat qualia quisque habuerit initia, qualia etiam media, sed solos investigat vitæ nostræ exitus. Non enim qui incipit, aut qui ad medium usque vitæ progressus est: sed qui persequitur usque in finem, hic salvus erit. (Matth. 10.) Et propter hanc causam non solos peccatores, sed etiam iustos homines dæmon fortius in morte invadit, quia scit tunc de tota hominis salute agi. Nam beato Martino morienti dæmon addidit, querens, an ab illo moriente aliquid capere posset, cui sanctus magna cum fiducia respondit. Quid hic addas crevata bestia? Nihil in me fuisse reperies, sed sinus Abraham me suscipiet. Nec miror, quod sanctos omnes invadere tenet, qui sanctum sanctorum, & totius sanctitatis auctorem aggredi non dubitavit. Ipse siquidem Salvator noster cum jam non longe esset à morte, dixit: (Joan. 14.) *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* In Christo dæmon aliquid se invenire credidit, in eo tamen nihil habuit: quoniam peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. (1. Pet. 2.) Ob hanc causam Salvator noster morti propinquus factus in agonia prolixius orabat, (Luc. 22.) non quod ipse tunc pertimesceret, aut pro-